Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26172
Copyright: Admont, Benediktinerstift

credere meliorem esse misericordiam suam. quam divini severissimam
executionem precepti. et quemadmodum ipsi videbatur crudelis impii.
Qua consideratione mollitus dum mavult cruentam victoriam clemen
tia temperare. ob indiscretam misericordiam velut toto corpore redditus
tenebrosus. inrevocabili morte dampnatur. QUARTUM

Hec est discretio que non solum lucerna corporis sed etiam sol ab apostolo
nuncupatur. secundum illud. Sol non occidat super iracundiam vestram.
Hec etiam vite nostre dicitur gubernatio. secundum illud. [quibus non est gubernatio cadunt ut fo[lia]. Hec consilium rectissime] nominatur. sine
quo nichil agere omnino scripture auctoritate permittimur. ita
ut ne ipsum quidem spiritale vinum quod letificat cor hominis sine ipsius
sinamus moderatione percipere. secundum illud. cum consilio omnia fac. cum
consilio vinum bibe. Et iterum. Sicut civitas muris diruta et non circum
data. sic est vir qui non cum consilio aliquid agit. Cuius privatio quam pernicio
sa sit monacho testimonium huius exemplum ac figura declarat.
dirute eum ac sine muris comparans civitati. In hac sapientia.
in hac intellectus sensusque consistunt. sine quibus nec interior nostra
domus edificari nec spiritales poterunt divicie congregari. secundum
illud. cum sapientia edificatur domus. et cum intellectu iterum eri
gitur. cum sensu implentur cellaria omnibus diviciis preciosis et bonis.
Hec inquam est solidus cibus. qui non nisi a perfectis tantum ac robustis non potest
assumi. secundum illud. perfectorum autem est solidus cibus. eorum qui pro consuetudi
ne exercitatos habent sensus. ad discretionem boni ac mali.
Que in tantum nobis utilis ac necessaria comprobatur. ut etiam ver
bo dei eiusque virtutibus coaptetur. secundum illud. [vivus] enim est dei sermo et ef
ficax. et penetrabilior omni gladio an[ci]piti. et pertingens usque
ad divisionem anime ac spiritus. compagum quoque et medullarum. et dis
cretor ~~cordium~~ cogitationum et intentionum cordis. Quibus manifestissime
declaratur. nullam sine discretionis gratia perfecte posse vel perfici
vel stare virtutem. et ita tam beati antonii quam universorum sen
tentia definitum est discretionem esse que [...]nac[...] fixo gradu intre